Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36538
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

doctor immundus. Non quem primus corruptum sed
contingit. Quasi enim alicui manum ut tangat
porrigit, cui fucatam humanitatem impendit.
Solemus hoc dicere de pravis iudicibus, qui inno
centium causas pervertunt. Lectum est: Premiis
quippe corruptus a iustitia declinavit. Di
catur ergo: Omnis quem tetigerit qui talis est non lotis an
te manibus. Dat hominum penitentie locum, sicut
et sequentia demonstrabunt. Potest enim ab
luere manus si voluerit, id est operum suorum per pe
nitentiam sordes abluere. Quod antequam faciat,
quemcumque tetigit tactu suo immundum reddit.
Quem ergo tetigerit lavabit vestimenta sua, et lotus
aqua immundus erit usque ad vesperum. Hec superius
iam dicta sunt. Quia vero non numquam qui prima secuntur
contra suam conscientiam alienam iniquitatem secuntur,
austiori penitentia mundandi et acriori me
dicamento curandi sunt. Unde et subditur: Vas ficti
le quod tetigerit confringetur. Vas autem ligneum la
vabitur aqua. Vas fictile corpus humanum, vas
autem ligneum animam intelligendam longe superius
ostendimus. Et quidem per vas fictile corpus huma
num, quia extra est, congrue significatur. Anima vero non
numquam per vas ereum, quia immortalis est, non numquam
per vas ligneum propter mobilitatem in hoc volumi
ne designatur. Longe enim lignum a metallo
vel lapidibus distat in pondere. Vas ergo fictile in
reo confringitur, cum per penitentiam corpus atteritur.
Vas autem ligneum abluitur aqua, cum absque sui
detrimento anima penitentie dolore purgatur.
Sequitur: Si sanatus fuerit qui huiusmodi sustinet
passionem, numerabit vii dies post emundationem
sui, et lotis vestibus ac toto corpore in aquis viven
tibus erit mundus. Die autem octavo sumet du
os turtures aut duos pullos columbe, et ve
niet in conspectu domini ad ostium tabernaculi testi
monii, dabitque eos sacerdoti. Qui faciet unum
pro peccato et alterum in holocaustum, rogabitque
pro eo coram domino, ut emundetur a fluxu seminis
sui. Hec omnia tam in emundatione lepre quam

in aliis locis plenius iam superius exposita sunt. Ut tamen
breviter repetantur, sanatur a morbo spirituali quicumque
ille sit qui pristine servitutis iugum excutiens
consensum suum vitiis subtrahit. Sed quoniam etiam invitus
infestas patitur delectationes, quibus sponte sua
prius succubuit, usque ad diem vii, donec scilicet
temptationum fervor quiescat, plenam non sequitur
mundationem. Tunc demum lotis vestibus ac toto
corpore sanctificatus, videlicet operibus ac purgata
conscientia, in aquis viventibus, id est in scriptura
rum fluentis, erit mundus. In scripturis quippe aque
vive reperiuntur, ad quas quicumque accesserit, et pre
ceptorum divinorum rectitudini se conformaverit,
tam corporis quam anime purificationem assequi
poterit. Die autem octavo, die scilicet resurrecti
onis, iam scilicet in novitate vite ambulans,
sumet duos turtures aut duos pullos colum
be, ut duplicem gemitum habere sciat, sive pro
malis que gessit, sive quia in bonis diu sterilis
fuit. Decet enim quamvis sanctus iam vivente
priorum meminisse, et preteritas offensas diluere,
iuxta illud sapientis: De propitiato peccato
noli esse securus. Sumptis ergo duobus turturibus vel
pullis columbinis, veniet in conspectu domini,
ut coram deo gemat ad impetrandam misericordiam
ipsius, non coram hominibus ut vanam sectantis
laudem acquirat. Ad ostium tabernaculi testimo
nii, ut patere celestis precetur ingressum. Dabitque
eos sacerdoti. Per prelatos etenim nostros reconcilia
mur deo, sicut Petro dictum est: Quodcumque solveris
super terram solutum erit et in celo. Sive per sum
mum omnium pontificem Christum, sicut idem Petrus testa
tur dicens: Offerentes spirituales hostias accep
tabiles deo per Iesum Christum. Qui faciet unum pro
peccato et alterum in holocaustum, rogabitque
pro eo coram domino, ut emundetur a fluxu semi
nis sui. Cum nos deliquisse deflemus, pro peccato
unum turturem offerimus. Ex alto vero holocaus
tum facimus, cum pro pristina stultitia gementes cor
rectioris vite desiderio nosmetipsos succen-